

Bibliothèque numérique

medic@

**Thillaye, Jean-Jacques - candidat /
Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -
président. - De poplitis aneurysmate**

1784.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,***

Cote : ms 2345, n°25

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA
DE POPLITIS ANEURYSMATE;

*QUAM, Deo juvante, & Preside M. PETRO-MATHURINO
 BOTENTUIT LANGLOIS, Scholarum Moderatore, antiquo
 in Scholâ Prælicâ Professore, tueri conabitur JOANNES-
 JACOBUS THILLAYE, Rothomagensis, præclaræ Artium
 Facultatis in Almâ Universitate Parisiensi Magister, Anatomes
 in Scholâ Prælicâ nuper Professor & Regii Scholarum
 Hospitii alumnus primarius, Dissertationis Auctor.*

*Die Sabbati 11^a. mensis Septembris anno R. S. H. 1784,
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*


PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,

ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
 Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.

M. DCC. LXXXIV.



DISSERTATIO ANATOMICO-CHIRURGICA DE POPLITIS ANEURYSMATE

Quam, Disputavit, & Praefatus M. Petrus Martini
Botanici Lectoris, Scholae Medicae, et
in Schola Publica Praefatus, cum consilio Johannis
Jacobi Tullii, Medicorum, Praefatus, et
Praefatus in Schola Publica Praefatus, et
in Schola Publica Praefatus, et
Praefatus in Schola Publica Praefatus, et

Die 2. Martii 1774, auctoritate auctoris R. S. H. 1774.
Auctoritate auctoris R. S. H. 1774.

PARISIIS.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLA
PRO ACTU PUBLICO.

MAGISTERII LAUREA

THOMAS MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Candidatus, auctorem huius Typographi, vii. C. 1774.

M. DCC. LXXIV.



D. O. M.

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA
DE POPLITIS ANEURYSMATE.

QUANDIU suis in vasis continetur sanguis, nec major est ipsius impetus, quàm parietum quibus coercetur resistentia, ex mutuâ illâ actione & reactione vigent functiones, firma stat sanitas. Sin autem violentiùs ad eosdem parietes allidatur, & opposita sibi repagula frangere tentet, si debilitata vasa vi impellenti cedant, aut externâ quâcunque causâ disrumpantur, tum cessat omninò, aut saltem plùs minùsve læditur naturalis

A ij

solidorum fluidorumque consensus. Hinc varia morborum series; quos inter, cum Poplitis aneurysma hujus programmati materiam sumpserimus, tum de arteriis generatim, tum de Popliteâ peculiariter differemus, quod facilius & morbi generatio, & ejusdem curatio explicari possint.

EX ANATOMIA.

Arteriæ dicuntur vasa quibus sanguis à corde ad omne corpus defertur. Non conicæ sunt, sed cylindricæ, imò potius series cylindrorum post singulam quamque arteriæ divisionem decrecentium, ita ut ramorum collectivè sumptorum lumen trunci capacitatem eò magis superet, quò remotiores à corde, ac proindè numerosiores divisiones computantur: sin autem successivè & separatim consideretur trunci, ramorum, furculorumque diameter, imminui videbitur.

Variae sunt earum tunicæ: in magnis corporis cavitatibus ex communi membranâ adscititiâ mutantur: alibi nihil simile reperitur, sed cellulosa tela quâ vicinæ partes alligantur, arterias majores laxiùs ambit, minores strictiùs constringit, & eò tenuior, brevior, densiorque advertitur, quò propiùs ad arteriam accedit. Ex hâc tunica interiores confirmante magnum arteriis conciliatur robur; hinc fixum situm, figuram stabilem habent, vicinis cum partibus conjunguntur, & pro vario usu plùs minùsve inflectuntur.

Remotis hujus cellulosæ telæ lamellis, musculosa adparet tunica circularibus conflata fibris, aut potius circulorum segmentis per extremos fines mutuò confertis. Secundùm axim arteriæ nullæ protenduntur fibræ, & circulares etiam in capillaribus non deprehenduntur: ex illâ tunica contractilitas & irritabilitas arteriarum.

Hanc inter & sequentem adest cellularis textus, tenuis, & brevior qui tertiam tunicam constituit.

Interior tandem mollis, levigata, unius tenoris, internæ cordis membranæ continua, arachnoides, villosa, nervea dicitur. Aneurysmata, polyposæque concretiones tum contextu continuo, tum levitate impedit.

Suæ non desunt arteriis arteriæ, venæ, nervi, sed in majoribus tantum truncis conspiciuntur.

Ita constitutæ arteriæ maximo robore vigent, ut sanguini singulo quoque momento in suos parietes nitenti obnivantur. Ideo, ubi flectitur arteria, fortior est in dorso convexitatis, quam in sinu: quod majores rami, eò magis ad axim trunci convergunt, sic enim minuitur impetus sanguinis in vasorum parietes. Sed ex variis propugnaculis & munimentis quæ contra vim sanguinis instituit provida rerum creatrix Natura, nullum sanè utilius quam anastomosis. Sed eheu! Cum maximè desideratur hoc Naturæ beneficium, tum sæpè sæpius deficit; nam quod majores trunci, eò rarior adest anastomosis, quod minores, eò frequentior; ideò sanè quod in majoribus vasis eundem semper cursum teneat sanguis, dum in minoribus fluit refluitque vicissim, undè multiplex vasorum communicatio ibi necessaria fuit. Cum verò ex hâc tantum dispositione pendeat successus operationis quam in nostro programme instituendam suademus, pauca quædam de popliteis vasis adjicere liceat.

Arteria poplitea à femorali, infimam circà femoris partem, primum inter & tertium tricipitem, retrorsum & extrorsum, ad superiorem tibiæ quadrantem se projicit, ad internam femoris, & posticam articulationis partem vergens. Congener vena superius & extrinsecus oras arteriæ parum obtegit, dum eandem inferius strictè necit & implicat.

A iij

Solis ferè integumentis, toto suo decursu, recta poplitea arteria ad inferiorem femoris & superiorem tibiæ partem per plures anonyms undique spargit ramos, sed præcipuos emitit qui articulare & Gemellorum nomine insigniuntur.

Articulares arteriæ tùm internæ tùm externæ in superiores, medias, & inferiores distinguuntur: omnes inter se communicant, & alias etiam habent anastomoses cum circumflexâ externâ & tibiali tùm anteriori tùm posteriori, & peronæâ.

Gemellæ pariter cum omnibus his arteriis coadunantur; undè facile patet oblitterati trunci vices gerere posse ramos collaterales.

EX CHIRURGIA.

Aneurysma definitur tumor sanguineus à dilatatâ vel ruptâ arteriâ natus undè in verum spuriumque dividitur: Verum cùm intra tunicas arteriæ ultrâ modum expansas continetur sanguis; spurium quandò suos perfregit limites, & in vicinas cellulas effunditur.

In primarium & secundarium distinguitur spurium aneurysma. Primarium arteriâ vixdum læsâ agnoscitur: si sanguis ex vulnere levi in vicinam cellulam diffuat, eamque paulatim distendat, circumscriptum nuncupatur; si læsione gravi in cellularem textum effundatur, & hinc indè exundet, vocatur diffusum; sin autem in vicinam venam, seu ex communi vulnere, seu ex utriusque vasis erosionem transfundatur, dicitur aneurysma per anastomosis.

Secundarium vel aneurysmatis veri disruptioni succedit, vel oritur ex falso aneurysmate aptâ primò vincturâ coercito, mox verò ex compressionis negligentia aut ægri imprudentiâ recrudescente, cùm coagulum quo obturabatur arteriæ vulnus, sanguine vividius affluente & irruente dejicitur.

Plurimæ aliæ sunt aneurysmatum divisiones; nempe in interna & externa, simplicia & complicata, majora vel minora. Modò pulsant, modò levis tantùm fremitus percipitur: nunc truncum, nunc ramum aggrediuntur, undè varia prognosis, diversaque medendi methodus. Sed hìc multa generalia ex consilio omittimus, de aneurysmate in Poplite solummodò differentes.

Attentè consideranti quot quàmque fortes musculi genu articulationem circumdant, quanta sit eorum actio, quàm validos, quàm varios, quàm repetitos motus exercent, facile patebit nullam corporis partem, si brachium excipias, aneurysmati magis obnoxiam fieri. Et quidem non unum tantùm arteriæ popliteæ punctum invadit, sed modò principium, modò finem, nunc mediam partem, nunc totam arteriæ longitudinem aggreditur.

Quidquid arteriæ tunicarum vim obsistentem vel imminuit, vel frangit, aneurysmatis inter causas meritò recenseri potest. Externæ sunt contusio, vulnus, subita & nimium intensa vel frequentius repetita femoris & cruris musculorum contractio, ut in bajulis, cursoribus, textoribus, &c.

Internæ, vasorum obstructio, ossificatio, ulcera interna, lues venerea, scorbutus, &c.

Facillimè ut plurimum dignoscitur aneurysma: Sæpè tamen sagacissima Chirurghi perspicacia desideratur: nonnunquam enim ita obscuris se signis prodit, ut nisi omnia sedulò ponderaveris, nisi varia symptomata attentè conferas, nisi præsertim diuturniori experientiæ innitaris, in eo sis aliquando ut abscessum pro aneurysmate adesse pronunties, quod & in Chirurgiæ opprobrium, & in ægri perniciem verteretur. Verum aneurysma arguit tumor in Poplite circumscriptus, mollis, fluctuans, ovum figurâ referens, pulsus pulsui arteriæ *isochronon* habens: cutis adnatæ

non immutatur color, & absunt pariter, nisi jamdudum inoleverit, calor & dolor. Cum autem accrescit, durior fit, ægrè percipitur arteriæ pulsus, fremitus perindè ac in spurio stridet, quæ omnia à concreto sanguine & polypis merito sunt deducenda.

In spurio aneurysmate prominet tumor inæqualis, hinc & indè durus, digito sæpiùs obstitens: vix percipiuntur pulsationes, imò ad tactum crebrò resonat strepitus; cutis violaceis sædè distinguitur maculis; tandem absunt signa quæ verum aneurysma comitantur.

Ex morbi diuturnitate varia subsequuntur symptomata, tum in spurio, tum in vero aneurysmate quod eundem diutius gradum servare constat; & quidem tumoris incremento sanguis ibidem lentè & segniter actus in vasa, stagnat, concrevit. Tum densissimus evadit faccus: enatis polypis intercluditur arteriæ tubus, undè, si infra tumorem exploratur, perdebilis percipitur pulsus. Gravis primùm dolor in Poplite, dein acutissimus ad malleolum usque protenditur. Varii genu motus in principio ardui & difficiles, brevi nullatenùs exerceri possunt. Interdum frigoris sensus aut stupor totum invadit membrum. At verò sæviente dolore imaque ad ossa delato, febris arida depascitur artus, ægro nulla quies, perpetuis exagitur vigiliis, pes & crus mirum in modum tument œdemate, mox gangrænâ corripuntur, modò ita corroduntur ossa ut à causâ vel levissimâ perfringantur, modò sponte suâ disrumpitur faccus aneurysmaticus, undè, nisi citissimè adhibeatur auxilium, lethalis ingruit hæmorrhagia.

Licet hæc omnia non sint in quocunque aneurysmate pronuntianda, nihilominùs inter gravissimos ille morbus annumerandus est; sedarii sunt periculi gradus pro variis casibus æstimandi. Minus exitiale in arteriæ principio, quàm in loco ubi dividitur

aneurysma judicandum est : spurium vero periculosius , quod verum plerumque diutius in eodem statu remaneat , dum spurium enumerata sæpius adducat mala. Ortum à causis internis magis nocivum , quàm ab externis : simplex nil funesti portendit ; compositum , sive aliis aneurysmatibus , sive aliis stipetur morbis , ægrum sæpius in vitæ discrimen adducit. Damnosum est ubi obcalluit , ubi vastum est ac diffusum ; contra verò , levius habebitur : varia demùm pro ætate , sexu , temperamento , &c. prognosis instituenda.

Ad curationem triplex patet via : compressio , ligatura , amputatio membri ; sed ad unum ex his mediis promiscuè & indiscriminatim non confugiendum ; omnis enim ægri salus sæpè sæpius ex prudenti inter ea delectu pender : omne igitur ingenium , omnem sagacitatem ad id intendat Chirurgus , ut , quid morbo conveniat , quid non , judicet & eligat.

Certè quidem si ægri arbitrio optio permetteretur , compressio , ut potè mitior methodus , solummodò adhiberetur , sed certis tantùm in casibus admitti potest : nempè cum aneurysma recens & parvum nullis gravioribus stipatur malis : si spurium sit , cum levis est arteriæ læsio , sanguisque nec latius in telam cellulosam diffunditur , nec grumis polypisque durioribus concrevit : Si verum , cum tumor omnis undique ita comprimi potest , ut nullâ ex parte diffuere vel iterùm prominere possit : tandem hæc , saltem tanquam palliativa , methodus inveniunda , quoties in aliis nulla spes ponitur , aut omnem operationem pertinaciter æger refugit.

Quâcunque de causâ electa fuerit , instituitur ope duarum fasciarum quarum altera tumori , altera toti membro admoveatur. Illa concavo munitur scuto ad eminentiam configurato , cujus concavitas , tumore decrescente , paulatim ita imminuitur , ut demùm ad planitiem prorsus accedat : laxior primò vinctura

magis magisque indies constringitur, ita tamen ut liber sanguin-
rùm per venas tùm per arterias collaterales circuitus permittatur :
non nocebit tamen, si parùm frangatur ejus impetus pulvillo
oblongo secundùm arteriam decurrente, secundâque fasciâ leniter
constricto. Ad id quoque plurimùm conferent sanguinis missiones
plùs minùsve repetitæ, parcissima diætâ, potus diluentes &
frigidi : admovebuntur topica refrigerantia, adstringentia : sed,
quod operæ pretium, ab omni motu abstinebit æger ; cubili
veluti affixus, perfectè & animo & corpore quiescet. Hæc si
sedulò diùque observentur, aliquando fieri poterit ut, sive ad
justam diametrum reductâ arteriâ, sive grumo indurato læsos
illius parietes coadunante prorsùs curetur aneurysma.

Si, rebus attentè perpenſis inutilis, aut nocivâ compressio futura
videatur, necessaria operatio ; sed antequam celebretur, pariter
videndum an felicior ex eâ successus sperari possit. Nulla
enim unquam suscipienda est *encheiresis* quin ægro, sin per-
fectam sanitatem, saltem aliquid afferat boni. Ab eâ igitur
abstinendum est :

1°. Si tumoris amplitudine nullus arteriæ ligandæ superſit
locus ;

2°. Si ad popliteæ in tibialem & peronæam divisionem exten-
datur saccus aneurysmaticus ;

3°. Si ita integumentis & ossibus adhæserit, ut ab iis nullâ
arte separari queat ;

4°. Si carie afficiantur ossa ;

5°. Si naturam osseam arteria induerit ;

6°. Si ex latiori vasis rupturâ sequatur immane vulnus,
undè arteriarum collateralium destructio & anastomoseon
defectus ;

7°. Si multiplicia adsint aneurysmata ;

Quæ si absint, operatio sic instituenda.

Paratis quæ ad eam celebrandam necessaria sunt, vinculo seu torculari ad mediam femoris partem affixo, pilâque infra Fallopii ligamentum positâ, agro in abdomen decumbente & dexteris juvantibus ministris, femore crureque contentim firmatis, suspensâ & levi manu duplicata aut protensa secantur integumenta, aded ut suprâ & infrâ tumorem uno vel duobus pollicibus superet sectio, aponeurosim & cellulofam telam sejungendo, dein, quo facilius removeantur ischiadicus nervus & vena, flectendum est genu, quandòquidem non sine magno periculo hæ ligarentur partes. Tum refecatur faccus aneurysmaticus, ejusque cavo sanguineis grumis, quibus scatebat, depleto, spongiis vino aut aquâ tepidâ madidis vulnus abluatur & munitur. Superior postea arteriæ ligatura ope acûs longæ & percurvæ filis plurimis munitæ, os inter & arteriam cautè immissæ ita constringitur, ut laxato torculari nullus affluat sanguis. Inferior eâdem methodo iisdemque legibus instituitur. Demùm linteo carpto vel sicco, vel colophoniâ pulveratâ saturato impletur vulnus, atque mollibus spleniis, fasciâque molliter circumductâ involvitur. Tandem super latus vulneri obversum reponitur æger, & membrum semiflexum in pulvinari collocatum, laxato torculari ibidem pro re natâ fixo, pannis vel mantilibus calidis coopertur.

Si membri servatur calor, felicem sperare licet exitum: sanguineo paulatim sero vinctura tingitur, & seriùs ociùsve, sed ut plurimùm versùs septimam diem fit prima vulneris deligatio, nisi celeriore puris exundatio requirat, suspenso firmiter membro, cautè & molliter, juxta leges artis peragenda, secundâ vel tertiâ quâque die renovanda: tum uti postulabit vulnus ad quadragesimam usque diem, quâ plerumque decedunt ligaturæ, non nunquam tamen propter cicatricis progressus industriè refecande.

Cetera quæ consultò omisimus, ex artis præceptis peraguntur.

Hæc est, ubi faver Natura morbi, methodus ineunda (1). Sin autem post operationem frigescat membrum, ac proinde lethalis imminet gangrena, si superius memoratæ absint conditiones, ad amputationem, tanquam unicam salutis anchoram, confugiendum est.

(1) Hujus methodi præstantiam præclare demonstrant operationes duæ, quas in Regio Scholarum Hospitio feliciter instituit Clariss. Magister D. Pelletan.

